



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Sacri sacerdotij defensio co[n]tra Lutheru[m]

Fisher, John

Coloniæ, 1525

VD16 F 1240

VIII. Christus ipse dum hic in terris esset, pastores quosdam instituit, qui suarum ouium cura[m] agerent, eosq[ue] pascere[n]t, regere[n]t, & docere[n]t

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30878**

De sacra sacerdotij defensione cōtra Lutherū . X

¶ Christus ipse dum hic in terris esset, pastores quosdam instituit, qui suarum ouium curā agerent, eosq; pascere, regere, & docere



REFERT Lucas cap. 6. Christū, posteaquā noctem integram precatus fuisset patrem, quum dies factus esset, uocasse discipulos suos, & ex ipsis ele- gisse duodecim, quos & apostolos nominauit. Hic aduerte lector quanta præparatione & studio Christus hos apostolos delegerit, quū ante uoluisset in precatione iugi per noctare, q̄ eos in id muneris cooptasset.

Marcus uero capite tertio de his ita tradidit. Et ascendit Iesus in montem, & uocat ad se quos uoluit ipse, & uenerunt ad eum. Et fecit duodecim, ut essent secum, & ut emitteret eos ad prædicandum. Videre igitur ex his licet, apostolos istos magna diligentia fuisse delectos & institutos, eisq; officium præcellentius & potestatem ampliorem fuisse commissam, q̄ cæteris Christi discipulis, id quod etiam axiomate quarto plenius ostendemus.

¶ Porro Matthæus cap. decimo quū enumerasset duodecim apostolos, illico subdit, hos numero duodecim emisit Iesus quibus preceperat, dicens. In uiam gentiū ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini, sed ite potius ad oues perditas domus Israel. Profecti autem prædicate dicentes. Appropinquauit regnum cœlorum. Ecce curā his commisit ouium domus Israel, quas & doceri uoluit ab illis.

Iohannes autem & ipse capite sexto, memorat Christum ad hos dixisse, Nonne ego uos duodecim elegi? Et rursus capite. 15. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & constitui uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat. At quem precor fructum intelligit magis, q̄ salutem animarum pro quibus pascēdis, regēdis, docēdis, eosdē ap̄los instituit? Ne q̄ solū Iudeorū eis curā credidit, uerū etiā haud multo post & gētiū. Nā quū esset cœlos cōcensurus, mādauit eis, quatenus in orbem uniuersum profecti, docerent etiam oēs gentes quē admodū & Matthæus & Marc⁹ testant. Petrū ꝑo peculiarit̄

VIII.

IX

Math. 28

Marci. 16

Iohan. 21